

quam summo bono coniunctione, ideo mors æterna consistit in separatione impiorum à Deo &c.

4. Philosophia Platoni mortis contemplatio eodemque sensu separatio animæ à corpore describitur, quia quò quis magis vivit vitam animalem & carnalem, immersus rebus terrenis & corporeis, eo minùs sapientiæ studiis incumbit. Atque ita Philosophi status diversa ratione & vita & mors dici potest: mors quidem secundum tertiam hujus vocis acceptiōnem & in ordine ad corpus; vita autem, secundum acceptiōnem hujus vocis alteram & in ordine ad animam. Vide Exercitationis præcedentis articulum sextum in fine.

5. Secundum hanc tertiam Vitæ mortisque significationem maximè intelligenda est tota de animæ immortalitate quæstio: quæritur enim an in humana *anima* dari possit dissolutio & separatio rei unius ab alia re, quemadmodum in morte *hominis* est animæ à corpore solutio, & in corruptione *corporis* unius membra ab alio separatio.

6. Quemadmodum ergo tam in morte *hominis*, quam in corruptione *corporis* *humani*